

admittebant cum Gnosticis quasdam virtutes ex Deo procedere, quas in tempore Deus habere coepit, & quas ipse sua essentia præcesserit. Tertio, conveniebant cum Noeto, & Sabellio, quod Trinitatem Personarum in Deo esse negarent. Quarto, censebant cum Origene, animas, antequam infunderentur in corpora, peccasse, & in poenam peccati in corporibus tanquam in carceribus fuisse reclusas. Quinto, affirmabant cum Paulo Samosateno, & Photino Christum non esse Deum, sed purum hominem. Sexto, dicebant cum Marcionitis, & Manichæis, Christum non suscepisse veram carnem. Septimo, opinabantur cum Ethnicis, animas, & corpora hominum fatalibus Stellis adstringi. Octavo, asserabant, Diabolum nunquam fuisse bonum, & plasmationem humanorum corporum dicebant esse Diaboli figmentum. Hinc corporum resurrectionem præfracte inficiabantur, & nuptias adeo exhorrebant, ut conjugia dissolverent, & feminas, a nolentibus viris separarent. Nono, animam hominis divinæ putabant esse substantiæ. Denique Priscillianistæ scripturas apocryphas obtendebant, quibus commenta sua confirmare studebant. His erroribus affines erant Priscillianistarum mores. Quamvis enim abstinentia a carnibus, fucata oris, totiusque corporis modestia, precum assiduitate, & pallore vultus pietatem mentirentur, nihilominus obscenam vitam debebant, nocturnos turpium seminarum conventus agebant, & nudi orare solebant. Quapropter, ad suas turpitudines occultandas existimabant sibi licitum esse proferre mendacium etiam cum perjurio junctum, illisque hoc dogma, instar alicujus effati, familiaris erat: *Jura, perjura, secretum prodeve noli.*

D. Recensuisti ne omnes Hæreses, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo proruperunt?

M. Sanctus Epiphanius in libr. de Hæresibus mentionem facit Hæresim Audianorum, Antidicomarianitarum, Collyridianorum, & Messalianorum, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo eruperunt, sed obscuræ, nec multum fuere diffusæ. Quapropter breviter me ab illis expediam, incipiendo ab Hæresi Audianorum, quibus nomen dedit *Audeus* illius Sæctæ auctor, Syrus e Mesopotamia oriundus, qui Arij temporibus vixit. Hic cum severioris disciplinæ fervidus æmulator esset, & ab illius observatione Clericos, necnon Episcopos deficientes liberis redargueret, suis intempestivis objurgationibus illorum in se concitavit odium, quod ferre non valens, sese ab illorum communione divisit, & a quodam Antistite, qui ab Ecclesia itidem secesserat, ordinatus Episcopus, Presbyteros, & Episcopos suæ Sæctæ instituit, & privatos conventus cum suis Sæctariis agitare cepit. Sanctus Epiphanius nullum Audæo tribuit errorem contra Fidem, sed tantum ait, illum crassiori, & imperitiori modo hæc Scripturæ verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, fuisse interpretatum, affirmando hanc similitudinem referendam esse ad corpus. Ob quam absurdam interpretationem multi crediderunt, Audæum corporis humani lineamenta Deo affinxisse, ejusque Sæctatores *Anthropomorphi-*

*tas* appellarunt. Sanctus Augustinus in libr. de Hæresibus hunc Anthropomorphitarum errorem attribuit Audianis. Theodoretus libr. 4. Fab. Hæret. & lib. 5. Hist. Eccl. cap. 9. dicit, se ex vago rumore accepisse Audæum putasse tenebras, ignem, & aquam ingenita esse. Audiani Pascha more Judæorum die XIV. Lunæ peragebant, in Monasteriis, & in solitudine vitam debebant, nec cum Clericis, Episcopis, aliisque Catholicæ Ecclesiæ Fidelibus communicare volebant. *Audeus* illorum Princeps ab Imperatore Constantio in Scythiam relegatus est, & inde transivit ad Gothos, quorum plurimos ad Christianam Fidem adduxit, sed quia nefario Schismate a communione Ecclesiæ Catholicæ manserunt separati, inter Hæreticos fuere annumerati. *Facundus* ait, eo tempore, quo scribebat, hoc est, sub finem quinti sæculi, istius Audianorum Sæctæ ne ullum quidem remansisse vestigium.

Hæretici *Antidicomarianitæ* appellabantur hi, qui Mariam Matrem Christi suam post Partum Virginitatem amisisse, ac liberos ex carnali cum Josepho congressu genuisse effutiebant. Quibus Hæreticis omnino oppositi fuerunt alii Sæctarii, dicti *Collyridiani*, eo quod Beatam Virginem Deiparam colerent ut Deam, & in ipsius honorem Collyridem panis per mulieres offerrebant. Muliebri quippe sexui Sacerdotii munia hæc Sæctæ ordine præposito, sacris litteris, & disciplinæ Ecclesiasticæ penitus contrario deserebat, ut videre est apud Sanctum Epiphanium Hæresi 79.

Supere est ut pauca dicam de Hæresi Messalianorum, qui *Eubetæ*, & *Enthusiastæ* quoque dicti sunt, eo quod insulse Evangelii dicta interpretantes, suis omnibus facultatibus dimissis, & labore manuum prorsus neglecto soli Orationi vacabant. Hujus Hæreseos Principes, sicut testatur Sanctus Damascenus in libr. de Hæresibus fuerunt *Dadoes*, & *Sabas*, & *Adelphius*, & *Hermas*, & *Symeon*, qui ab Ecclesiæ communione præcisi sunt, quod dicerent, nec prodesse, nec obesse divinam escam, de qua Dominus ait: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, vivet in æternum*. Nec solum isti Hæretici manuum opera rejiciebant, sed etiam nullam pauperibus eleemosynam dari debere affirmabant. Monachos non decere Ecclesiasticis interesse conventibus asserabant. Baptismum nullam iis, qui eum consequuntur, utilitatem asserere putabant, sed sola oratione dæmonem expelli docebant. Omnes, qui nascuntur ex primo parente, trahere aiebant quemadmodum naturam, sic dæmonum servitutem, hisque per sedulam orationem fugatis, advenire deinceps Spiritum Sanctum, qui præsentiam suam sensibus, & oculis exhibeat, tum corpus a perturbationum motibus, tum animam ab omni ad deteriora propensione liberando, ita ut nec jejuniis, nec corporis mortificatione opus habeat ille, qui semel Spiritum Sanctum adeptus est, quippe qui non soluma protervis corporis moribus eximatur, sed futura etiam prævideat, & Divinam Trinitatem oculis intueatur.

Deni-

Denique, isti Hæretici somno sese deditos, somniorum Imagines divinum afflatum vocabant. Suos tamen errores celare maxime studebant, eosque, quando convicti, aut detecti erant, præfracte negabant. Quamobrem Flavianus Antiochiæ Episcopus, cum ejusmodi Hæreticos Edesse verlari, venenumque suum vicinis locis instillare didicisset, Antiochiam illos pertraxit, & Adelphium unum ex primariis illius Sæctæ ad se benigne vocans, ita blandis, & officiosis verbis demulsit, ut his delinitus Adelphius, nihilque suspicatus totum latens venenum evomuerit. Tunc Flavianus patefacto morbo, & de omnibus Messalianorum erroribus certior plane factus Synodum convocavit, in qua Messaliani fuerunt damnati, & Syria expulsi. Hi vero in Pamphylia concesserunt. Sed Amphilocheus Lycaonum Metropoli Præpositus luem illic grassantem in Synodo compescuit. *Letofus* etiam Melitenensis Ecclesiæ Antistes, cum videret multa Monasteria hanc Hæresim fuisse, scriptis illam confutavit. Denique, Œcumenica Ephesina Synodus Messalianos anathemate percussit, eosque Theodosius Imperator lege anno 428. lata proscripsit. Hæc tamen Hæresis instar hydræ suis rediviva cladibus diu Orientem funestavit, & ex ea anno MCXVIII. *Alexii* Imperatoris tempore, manavit Hæresis *Bogomilorum*, ut videre est in lib. 15. Historiæ *Anne Commene*, quæ his temporibus vivebat, & omnia quæ illam Bogomilorum Hæresim spectant, accurate litteris consignavit.

D. Hæc Hæresim monstra vidisse sufficiat. Nec enim in tam crassis confutandis Hæreticorum erroribus diutius immorari juvat.

M. *Sententias Hæreticorum prodidisse, superasse est; patet prima fronte blasphemiam, non necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est*, inquit Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem contra Pelag. Videbimus in proximo Colloquio, quo pacto Ecclesia in Conciliis congregata omnes Hæreses, quæ in quarto sæculo pullularunt, profligaverit: *Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia Catholica contra omnes Hæreses pugnant, oppugnari potest, expugnari non potest. Hæreses omnes prodierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, in charitate sua, & portæ inferi non vincunt eam*, ait S. Augustinus lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos.

### COLLOQUIUM III.

*De Conciliis, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo ad tollenda Schismata, confingendasque Hæreses variis in locis fuere celebrata.*

D. **D**UM tot Hæreses, & gravissimas altercationes, quibus in quarto sæculo exagitata est Ecclesia, mecum tacitus perpendo, facile intelligo, complura ad definiendas emergentes Fidei controversias celebrata fuisse Concilia, quorum quidem in præcedenti Colloquio nonnullam mentionem fecisti, sed nunc data opera omnium Conciliorum, quæ in quarto Ecclesiæ

sæculo habita sunt, Historiam accurate texere debes, ut fidem, quam mihi a principio obstrinxisti, hoc pacto liberare possis.

M. Quarto ineunte sæculo acerbissimis Ethnicorum Imperatorum persecutionibus afflictæ, & tantum non oppressæ Ecclesia, integrum non fuit Episcopis hac illac dissipatis indicere Concilia ad sancienda ea, quæ regimen politicum, seu disciplinam Ecclesiæ spectabant, vel ad enatos proscribendos errores erant omnino necessaria. Ast, remisso persecutionum furore, Episcopi suis restituti Ecclesiis Synodos habere coeperunt, tum ut providerent his, qui sævientem persecutione lapsi erant, tum ut collapsam resarcirent disciplinam, & sparfos ab Hæreticis errores penitus profligarent. Postea, sub Constantino Magno, & sub aliis Christianis Imperatoribus mos in Ecclesia obtinuit, ut Episcopi unius Provinciæ singulis annis Concilium, quod *Provinciale* dicebatur, celebrarent; & in eo omnia negotia cum fidei, tum morum, & disciplinæ, quæ in Provincia occurrere poterant, pertractarent. Si quæ vero inter Episcopos dissensiones oriebantur, ad illas sopiendas cogebatur Concilium *Nationale* ita dictum, quod Episcopi diversarum ejusdem Nationis, seu Regni Provinciarum huic Concilio interessent. Denique, primum inter Principes Christianos sub Constantino Imperatore Concilium omnium Episcoporum totius Orbis tam Orientis, quam Occidentis ad exterminandam Arianam Hæresim convocatum fuit: ad cujus exemplum deinde sub aliis Imperatoribus Christianis Concilia universi Orbis Episcoporum, quæ vulgo Œcumenica, seu Generalia vocitantur, in rem Ecclesiæ sæpius indicta fuerunt, assentientibus tam Pontificibus Romanis, ad quos solos de jure pertinet convocare Concilia Generalia, eisque vel per se, vel per suos Legatos præesse.

D. Paucis verbis generalem quidem, sed tamen accuratam omnium Conciliorum ideam depinxisti. Jam probe intelligo triplicis generis esse Concilia, *Provincialia* nimirum, *Nationalia*, & *Œcumenica*, seu Generalia, quæ eo potissimum fine convocari solent, ut consulatur politico regimini Ecclesiæ, facta recta conservetur disciplina, & omnes controversiæ, quæ circa fidem exoriri possunt, judicio, & autoritate Episcoporum dirimantur. Nunc pleniorum Conciliorum, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo habita sunt, notitiam assequi ut valeam, rogo te, ut juxta accuratorem Chronologiam præfigas annos, loca, Episcoporum numerum, & præcipuas sanctiones, quæ in illis editæ sunt.

M. Concilium Sinuessanum, quod a Clero Romano in causa de lapsu Marcellini Papæ poenitentis anno 302. fertur convocatum, ordine haud dubie præcederet omnia Concilia, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, si Acta illius Concilii genuina essent, & non supposititia. At lapsus Marcellini Papæ, & Actorum Concilii Sinuessani certa suppositionis indicia exhibent Papebrochius in Conatu Chronologico-Historico ad Catalogum Pontificum, Pagius in sua Critica

tica ad annum Christi 302. Natalis Alexander, alique viri eruditi. Et sane, ut obiter dicam, Marcellini Papæ lapsus omnino commentitium esse, probat non solum silentium Eusebii, & Theodoretii, qui nullam de illo in Historia Ecclesiastica mentionem fecerunt, sed etiam silentium Donatistarum, qui omnem licet verterint lapidem, ut Melchiadem Pontificem Romanum sacrorum traditionis librorum facerent, ut hoc pacto sententiam contra se latam elevent, nulliusque ponderis esse ostenderent, nunquam tamen Marcellini Pontificis in Idololatriam lapsus objecerunt Catholicæ Ecclesiæ, quem tamen objicere non omiserunt ad creandum negotium Melchiadi, qui Marcellini Pontificis Presbyter fuerat, non fecus ac ex persona Felicis Apungitani Cæciliano negotium facessabant, quod ab eo fuisset ordinatus, quem sacrorum librorum traditorem affirmabant. Verum quidem est, quod Sancti Augustini tempore, post Carthaginensem tamen collationem, in qua altum fuit de Marcellini lapsu Donatistarum silentium, rumor aliquis primus a Petiliano Donatista de Marcellini lapsu sparsus sit. Sed hunc rumorem, sicut & crimina, quæ Donatistæ Marcellino Papæ, ejusque Presbyteris Melchiadi, Marcello, & Sylvestro objiciebant, falso jactari asserit Sanctus Augustinus in lib. de unico Baptismo cap. 16. ubi hæc habet: *Ipse, idest, Petilianus, sceleratos, & sacrilegos fuisse dicit; ergo innocentes fuisse respondeo. Quid laboro probare defensionem meam; cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam.* Porro, sic Petiliano respondere non potuisset Sanctus Augustinus, si revera Marcellinus Papa Idolis sacrificasset. Nam Petilianus non tenuit, ut ait Sanctus Augustinus, sed publici facti evidentia probasset accusationem suam, nec Sanctus Augustinus negare, aut ignorare potuisset hunc Marcellini lapsum tam memorabili pœnitentia reparatum, cuius fama omni procul dubio fuisset per universam Ecclesiam divulgata, omniumque sermone celebrata. Denique, illius Synodi Sinuessanæ Acta, in quibus dicitur Marcellinum Pontificem Maximum favente Diocletiani persecutione in Templo *Isidis*, & *Vestæ* gentium Idolis sacrificasse, & postea lapsum suum publice confessum in Synodo pœnitentiam sibi imponi rogasse, fabulam sapiunt, ac nullam prorsus fidem merentur. Quis enim, amabo, tam bonus ut credat, multitudinem Christianorum, sicut referunt illa Acta, ad Tempora Idolorum certatim perrexisse, ut de rumore, qui contra Marcellinum sparsus erat, certiores fierent, & testimonium contra ipsum ferre possent, si eum viderent Idolis sacrificantem? Numquid credibile est, grassante persecutione Diocletiana, quæ fuit omnium maxima, tot Christianos catervatim produsse in publicum, eosque, quod magis a veri specie abhorret, ad Idolorum Tempora accessisse, ut sacrificii, aut thurificationis sacrilegæ testes esse possent, quibus tamen sacrificia, & quosvis impiæ superstitionis ritus spectare, nedum illis interesse, non licebat, ut constat ex Tertulliano in lib. de Spectaculis, præsertim cap. 13. Mitto, bre-

vitatis ergo, alia, quæ in iisdem Actis narratur cum circumstantiis & formulis ita peregrinis, ut facile quisque dijudicare possit illa Acta supposititia esse, ac subinde fictitiam omnino Synodum Sinuessanam.

Anno 305. convocatum est Cirtense Concilium, hoc est, Cirtæ in Numidia, ut in locum defuncti illius Civitatis Episcopi alius sufficeretur. Baronius, & Petavius hujus Cirtensis Concilii Epocham fixerunt anno Christi 303. propter Actorum illius Concilii inscriptionem, quæ apud S. Augustinum lib. 3. contra Cresconium cap. 27. indicat Concilium Cirtense habitum esse *Diocletiano octies, & Maximiano septies Consulibus, quarto nonas Martii.* Qui Consules incidunt in annum 303. non vero in annum 305. Sed, ut recte advertit doctissimus Valesius in Notis ad lib. 8. Hist. Eccles. Eusebii cap. 2. mendum incurrit in hac Actorum illius Concilii inscriptione, legendumque: *Post Consulatum Diocletiani IX. & Maximiani VIII. idest, anno 305.* Id quippe liquido patet ex Breviculo Collationis die III. cap. 17. ubi sic loquitur Sanctus Augustinus: *Nam gesta Martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis, Consulibus gesta sunt Diocletiano IX. & Maximiano VIII. pridie Idus Februarias. Gesta autem Episcopalia Decreti Cirtensis post eorum Consulatum III. Nonas Martias, ac per hoc tredecim menses inveniuntur.* Porro, certum est nonum Diocletiani Consulatum incidere in annum 304. Cum igitur, teste S. Augustino, Cirtense Concilium tredecim mensibus post Consulatum nonum Diocletiani fuerit celebratum, non est dubium, quin Epocham Concilii Cirtensis præfigenda sit anno Christi 305. Huic Concilio præfuit *Secundus Tifiganus* Episcopus, qui, sicut jam in superiori Colloquio observavimus, Episcopos, qui Synodo aderant, quamvis convicti fuissent, quod favente Diocletiani persecutione sacros libros Gentilibus tradidissent, damnare noluit, sed soli Deo hujusce causæ judicium reliquit.

Eodem anno 305. Petrus Patriarcha Alexandrinus indixit Alexandriæ Concilium, in quo, ut testatur S. Athanasius Apologia 2. Meletius Lycopolitanus Episcopus multorum criminum convictus & præcipue quod vigente Maximini persecutione sacrificasset Idolis, damnatus & sua Sede depositus est, quod ægre ferens, Schisma fecit, neque tantum Patriarchæ Alexandrini obedientiam excussit, sed ambitione abreptus contra prærogativas Sedis Alexandrinæ, Provincias Thebaidis ac vicinæ Egypti invasit, novum sese illic ostentavit Patriarcham & firmandi sui causam Arianis antehac inimicis conjurationem iniit. Hujus Meletiani Schismatis originem aliter quidem refert S. Epiphanius Hæresi 68. Sed plus fidei tribuendum est S. Athanasio, qui illius Schismatis ortum vidit, & in describenda suorum temporum Historia accuratior est S. Epiphanius.

Incerta hætenus fuit Epocham Concilii Illiberitani, sive Eliberitani, hoc est, Eliberi apud Hispanos in Provincia Batica prope Granatam habiti a novemdecim Episcopis, quos inter eminebat Osius Cordubensis Episcopus. Probabilius

tamen

tamen est, istud Concilium anno Diocletianæ persecutionis incerto fuisse celebratum; idque colligi posse videtur ex Canonibus in hoc Concilio editis, in quibus multa decernuntur de Flaminiis Ethnicorum, de Corona Sacerdotum, de Christianis, sive Libellaticis, sive thurificatis, sive sacrificatis; de non admittendis litteris, quas Confessores in gratiam lapsorum, ut reconciliarentur, scribebant; de deneganda lapsis tempore persecutionis, & aliis gravium delictorum reis communionem etiam in exitu vitæ. Quæ omnia evincunt Concilium Illiberitanum convocatum esse favente persecutione Diocletiani. Quo tempore opus erat duriori disciplina, quæ Fideles instar fræni contineret, ne succumberent. Octoginta sunt legitimi Canones istius Concilii, in quibus nihil est, quod sanctum & religiosum non sit, ut videre est apud *Mendoza* & *Cardinalem de Aguirre*, qui illos perdocte explicarunt. Communionem lapsis, aliisque gravioribus peccatoribus etiam in fine vitæ denegari debere sancit Patres Concilii Illiberitani, qui tamen hæc in parte Novatianis non favent: tum quia nomine *Communionis* intelligunt Sacram Eucharistiam, sed non Sacramentalem absolutionem, sicut exponunt *Mendoza* & *Baronius*; tum quia etiam Patres Concilii Illiberitani nomine *Communionis* Sacramentalem absolutionem intelligerent, attamen cum Novatianis non consentirent, quia Sacramentalem absolutionem non statuerunt in fine vitæ denegandam *desperatione venie*, sed *rigore discipline*, sicut sentiunt Illustrissimus *Albaspineus* Aurelianensis Episcopus, & *Jacobus Sirmundus*, quibus subscripsit *Petavius* in suis ad Epiphanium Annotationibus, sed postmodum in suis ad Synesium Observationibus mutavit sententiam, & communionem, quam Patres Concilii Illiberitani lapsis & aliis gravioribus peccatoribus in fine vitæ denegandam decernunt, ad solius Eucharistici Viatici privationem restrinxit. Ventant insuper Patres Concilii Illiberitani Canone XXXVIII. ne Picturæ in Ecclesia habeantur: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Sed tamen non favent Iconomachis, quidquid contra obstrepant Hæretici, qui Reformatorum nomen perperam ambiunt. In hoc siquidem Canone agunt Patres Concilii Illiberitani de Imaginibus Dei, seu Sanctissimæ Trinitatis; Deus enim & Sanctissima Trinitas proprie colitur & adoratur. Dei autem, seu Sanctissimæ Trinitatis Imagines in usu olim non fuisse docent Sancti Patres, cujus quidem rationem luculenter exponit mox laudatus *Albaspineus* in Commentario ad hunc Concilii Illiberitani Canonem: *Ventant, inquit, Patres Illiberitani Deum in parietibus depingi, ne scilicet, quem Gentilibus & Catechumenis Immensum, Omnipotentem, Invisibilem, Aeternum, Incomprehensibilem, Spiritualem, Corporis & materiæ expertem, & immunem prædicabant, eum ipsi Gentiles & Catechumeni in ipsorum Ecclesiis, lineis & coloribus circumscriptum & comprehensum cernerent. Ne igitur Divini Numinis ma-*

gestas minueretur, & aliud de Deo depingeretur quam prædicarent, & quem supra homines extollerent, humana specie depictum oculis objicerent; ventant ne in Ecclesia Imagines Dei suspendantur. Hæc ad Sanctorum Imagines nulatenus pertinent. Hætenus *Albaspineus*. Ad di etiam potest, Patres Concilii Illiberitani consulto vetuisse, ne id ætatis etiam Imagines Sanctorum in parietibus Ecclesiæ depingerentur. Furebat enim tum temporis atrox Diocletiani persecutio, & grave ingruerat periculum, ne Christiani hæc in parietibus pictas Imagines cogerentur relinquere, sicque Judæorum & Gentilium in Ecclesiis irumpentium ludibrio fuissent expositæ. Potuissent etiam Ethnici & Judæi existimare, Christianos adorare lapides & ligna, in quibus depictæ videbantur & honorabantur Imagines. Nihil ergo, quod Hæreticis faveat, posteritati reliquerunt Patres Concilii Illiberitani, ac subinde audiri non debent quidam Catholici Scriptores, qui Concilium istud Illiberitanum vel tanquam supposititium rejiciunt, vel a Novatianis celebratum esse asserunt, eo quod in illo quædam legantur Catholicæ Fidei dogmatibus apparenter repugnantia.

De Concilio Carthaginensi ab Episcopis Numidiæ anno 311. contra Cæcilianum indicto, de Concilio pariter Romano sub Melchiade Romano Pontifice anno 313. habito, in quo absolutus est Cæcilianus & Donatistæ sunt damnati; denique de Concilio Arelatensi anno 314. a Constantino Imperatore convocato, in quo Donatistæ denuo fuere damnati & iterum purgatus Cæcilianus, sat superque in præcedenti Colloquio differui, nec actum agere volo. Hic solum breviter addam, Claudium & Virum Presbyteros, Eugenium & Cyriacum Diaconos summi Pontificis Silvestri Legatos præfuisse Concilio Arelatensi, in quo viginti duo Canones editi sunt pro disciplina Ecclesiæ, videlicet circa diem celebrandi Pascha; circa mansionem Clericorum in Ecclesiis, pro quibus fuerunt ordinati; circa receptionem Catechumenorum & Pœnitentium, circa Baptisma ab Hæreticis collatum; circa excommunicationes, & ordinationes ab Episcopis factas; circa Apostatas pœnitentiam in infirmitate dumtaxat postulantes. Quibus conditis Canonibus & absoluto Concilio, Patres perhonorificam Synodalem Epistolam ad Silvestrum Pontificem Maximum miserunt, qua Concilii, Canonumque confirmationem, & promulgationem ad ipsum pertinere agnoscunt.

Præter Concilium Arelatense, quod convocatum est anno 314. duo alia eodem anno fuerunt celebrata, videlicet Ancyranum & Neocæsariense. In Concilio Ancyrano viginti quatuor editi sunt Canones, quorum plerique præfigunt congruum tempus pœnitentiæ, quæ imponi debet his, qui in crimina idololatriæ, homicidii, & adulterii lapsi sunt. Alii vero Canones alia disciplinæ Ecclesiasticæ capita constituunt. V. gr. Canon nonus, Diaconos, qui ante ordinationem contestati fuerint, se velle connubio copulari, in ministerio decernit manere, si uxores postea duxerint; ab eo

ab eo autem arceri debere, qui in ordinatione professi sunt continentiam, si nuptias postmodum contraxerint. Duodecimus Canon prohibet Chorepiscopis, ne Diaconos, aut Presbyteros ordinent. Decimus tertius Canon remouet a sacris Ministeriis Presbyteros & Diaconos, qui ab esu carnum omnino abstinentes, suspecti erant Hæresis Encritarum, vel Manichæorum, qui carnes velut immundas execrabantur. Canon decimus quartus, res a Presbyteris, vacante Sede Episcopali, venditas, ad Ecclesiæ jura præcipit, rescisso contractu, revocari. Decimus septimus Canon privat Episcopali dignitate Episcopos, qui a suis Ecclesiis expulsi alienas invadere tentarunt? & adversus alios Episcopos seditiones excitarunt. His 24. Canonibus subscripserunt octodecim Episcopi, quos inter principem locum obtinet *Vitalis* hujus Concilii Præses, qui ab anno 311. usque ad annum 319. Antiochenam rexit Ecclesiam.

In Concilio Neocæsariensi, cui etiam præfuit *Vitalis* Antiochenus Episcopus, quatuordecim conditi sunt Canones. Quorum Synopsim hic exhibebo. Primus, depositionis pœnam statuit in Presbyteros, qui uxores acceperint. Secundus Canon, mulierem, quæ duobus fratribus nupsit, necnon virum, qui duabus nupsit sororibus, ad mortem usque a communione remouet. Canon tertius, publicæ penitentia subicit eos, qui pluries nupsit. Quartus Canon, eos a pœnis Canonicis eximit, qui licet fornicandi propositum habuerint, illud tamen opere non compleverunt. Quintus Canon, Catechumenis peccantibus pœnas instituit. Sextus, Catechumenam prægnantem baptizari jubet, quando ipsa voluerit. Septimus, Presbyteris prohibet, ne in Bigamorum nuptiis praeant. Octavus, illum, cujus uxor adulterii convicta est, ad Clerum vetat promoveri. Nonus & Decimus, Clericum, qui se ante ordinationem in peccatum carnis lapsus esse confessus fuerit, si sit Presbyter, ab oblatione Sacrificii, si vero sit Diaconus, ab exercitio proprii Ministerii suspendit. Canon Undecimus, prohibet, ne Presbyter ante annum tricesimum ordinetur. Duodecimus, eum, qui fuerit in ægritudine baptizatus, & qui ideo *Clinicus* appellabatur, ad honorem Sacerdotii prohibet sublimari. Decimus tertius, Presbyteris ruris vetat Sacrificium offerre in Ecclesiis Civitatis, Episcopo, vel Presbyteris Urbis præsentibus. Ultimus Canon, septem Diaconos in qualibet Civitate esse decernit. Hos quatuordecim Concilii Neocæsariensis Canones, non secus ac viginti quatuor Canones Concilii Ancyranum universa approbavit Ecclesia, eosque in suo Codice inseruit.

D. Hæc sunt igitur omnia particularia Concilia, quæ ante primum Generale Concilium Nicænum fuerunt in quarto Ecclesiæ sæculo celebrata?

M. His particularibus Conciliis ante primum Concilium Generale Nicænum celebratis, addenda sunt duo alia Concilia Alexandriæ ad Alexandro Patriarcha Alexandrino contra Hæresiarum Arium habita anno 321. de quibus, cum in superiori Colloquio amplam satis mentionem fece-

rim, plura hic adjicere supervacaneum esse arbitror.

D. Sub quo Imperatore convocatum est primum Concilium Generale?

M. Sub Constantino Imperatore anno Imperii ejus vigesimo, idest, anno Christi 325. Concilium Generale Nicænum convocatum fuit. Ita docent Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 6. Socrates lib. 1. Hist. Eccles. cap. 5. Theodoretus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 7. Sozomenus libr. 1. Hist. Eccl. cap. 16. quibus addi potest Epistola Synodica Nicæni Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam, quam descripsit Theodoretus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 11. Hinc tamen nonnulli perperam inferunt, jus, & auctoritatem convocandi Concilia Œcumenica ad Romanum Pontificem non pertinere. At enim universa Ecclesia hanc auctoritatem convocandi Concilia Generalia in Romanis Pontificibus semper agnovit, eisque expresse attribuunt Patres secundi Concilii Œcumenici Constantinopoli habiti anno 381. in Epistola Synodica ad Damasum Pont. Max. quam refert Theodoretus lib. 5. Hist. Eccles. cap. 9. Quapropter Constantinus, alique Imperatores Concilia Œcumenica non indixerunt absque assensu Romanorum Pontificum. At enim duplex in convocacione Conciliorum concurrere potest auctoritas, videlicet Ecclesiastica & civilis. Per auctoritatem Ecclesiasticam damnantur Hæreses, extinguuntur Schismata, sacri Canones ad faciendam Ecclesiæ disciplinam conduntur. Auctoritas vero civilis efficit, ut Canones a Concilio statuti per omnes Imperii Provincias executioni tradantur, denique ut Hæreticorum audacia atque contumacia Imperiali, vel Regia potestate comprimantur. Summi ergo Pontifices, in quibus residet auctoritas regiminis & potestatis Ecclesiasticæ plenitudo, Concilia Œcumenica indixere, vel per Epistolam Encyclicam convocando omnes totius Orbis Episcopos, vel eorumdem convocacioni assensum præbendo. Imperatores vero, qui suprema pollebant potestate civili, indixerunt Concilia Œcumenica non auctoritate Regiminis, sed auctoritate Præsidii, ut videlicet Ecclesiæ laboranti suppetias ferrent, ipsique opitularentur, ut Canonum sese executores, ac tutores demonstrarent, ut suis expensis Episcopos ad loca, in quibus celebrabantur Concilia, deducerent ac reducerent; demum, ut eorum auctoritate freti Antislites, promptius, ac facilius Hæreticorum impetus frangere possent. Cum igitur Jus convocandi Concilia Œcumenica ad solum Romanum Pontificem spectet, non est dubium quin Constantinus Magnus, juxta ac religiosus Imperator, primam Generalem Synodum Nicænam cum consensu Silvestri Romani Pontificis convocaverit.

D. Jam in præcedenti Colloquio observasti, trecentos, & octodecim Episcopos interfuisse Concilio Nicæno, sed de his, qui huic Concilio Generali præfuerunt, nihil hæcenus dixisti.

M. Concilio Nicæno præfuerunt *Osius* Cordubensis Episcopus, *Vitus*, & *Vincentius* Presbyteri, qui fuerunt Legati Silvestri Romani Pontificis, sicut diserte testatur *Gelasius* Cyzicenus libr. 2. Hist.

Hist. Concilii Nicæni cap. 5. *Launofus* Doctor Sorbonicus non negat *Osum* e Nicæne Synodi Præsidibus unum fuisse, sed contendit, illum præfuisse non propter Romani Pontificis vices ipsi demandatas, sed propter celebritatem nominis, & singularem ipsius meritum præstantiam. Sed in hoc fallitur. Quis enim credat *Osum* medio-cris Ecclesiæ in Hispania Episcopum, ante Legatos Sedis Apostolicæ, ante Alexandrinum, & Antiochenum Patriarchas, ante totius Africanæ Ecclesiæ Primatem Cæcilianum in Oriente, & in aliena Provincia ob nominis dumtaxat celebritatem præfuisse Concilio Œcumenico, in quo, ut notant omnes, non tam nominis celebritas, quam *Hierarchicus* ordo promicare debet. Præterea præfidentiam *Osi* in Concilio Nicæno male ab ejus meritis deducit *Joannes Launofus*. Erant quippe in Concilio Nicæno multi Episcopi, qui meritis aut *Osi* æquales erant, aut superiores. Aderat siquidem *Paphnutius* unus ex illis Confessoribus, quos Imperator Maximianus, dextris oculis effossis, & sinistro poplite fucis, ad metallam damnarat. Aderat *Potamon* Heracleæ in Ægypto Episcopus, & sacris stigmatibus in persecutione decoratus. Aderat *Paulus* Neocæsareæ Euphratenis Episcopus, qui multa in persecutione Licinii pro Christi fide constanter passus est. Aderat *Spiridion* Thremuntis in Cypro Episcopus, prophetiæ, & miraculorum donis conspicuus. Aderat *Jacobus* Nisibis in Mesopotamia Episcopus, qui teste Theodoro lib. 1. Hist. Eccles. cap. 7. suscitavit mortuos, & alia edidit prodigia. Aderat *Sanctus Nicolaus* Miræ in Lycia Episcopus. Aderant denique *Eustubius* Patriarcha Antiochenus, & *Alexander* Patriarcha Alexandrinus de Religione Christiana optime meriti. Cum igitur isti Episcopi *Osum* vel æquarent, vel superarent meritis, non potuit *Osius* ob solum nominis celebritatem, & meritum præstantiam præesse Concilio Nicæno, sed potius eo solo nomine illi præfuit, quia legatione Silvestri Romani Pontificis defungebatur.

D. Adfuit ne Concilio Nicæno Imperator Constantinus?

M. Adfuit Constantinus Imperator, sed infra Episcopos, & non nisi ipsis annuentibus, sedit. Orationem habuit, qua Patres ad concordiam adhortatus est. Eos, qui disputabant, attente auscultabat, subnascentes rumores conspicebat, suum modeste sensum insinuabat, cum singulis amice colloquebatur, teste Eusebio libro tertio de vita Constantini cap. 13. In tanta autem veneratione Religiosissimus hic Imperator habuit *Paphnutium*, ut sæpius illum complecteretur, & oculum, qui ipsi in confessione fidei fuerat avulsus, avidioribus oculis demulceret, teste Rufino lib. 1. Hist. Eccles. cap. 4. Uno verbo, Constantinus Imperator sese erga omnes Episcopos adeo beneficium exhibuit, ut præter vesturas itinerum, omnesque victus impensas, quas illis regali munificentia suppeditavit, libellos famosos, & calumniis refertos sibi ab Arianis contra Orthodoxos Antislites oblatos e vestigio comburi jussit, hanc Cedro dignam, marmorique inscribendam

proferens sententiam: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de vobis quoque judicandi; & ideo nos a vobis recte judicamur: Vos autem non potestis ab hominibus judicari: propter quod Dei solius inter vos expectate judicium.* Id refert Rufinus lib. 3. Hist. Eccles. cap. 1.

D. Quibus de causis convocatum est Concilium Generale Nicænum?

M. Tribus potissimum de causis convocatum est Concilium Generale Nicænum. Primo, ad damnandam Hæresim Arii. Secundo, ad tollendas dissensiones Ecclesiarum circa tempus celebrandi Pascha. Tertio, ad extinguendum Schisma Meletii. Quod spectat primum caput, Arius anathemate confossus, proscripserat illius Hæresis, editumque Fidei Symbolum, cui vox *ὁμοούσιον* apposite inserta est ad cohibendam, quasi cauterii ustione, omnem Arianorum cavillandi, ac tergiversandi licentiam. Quoad secundum caput, decrevit Sancta Synodus festum Paschatis eadem die ab omnibus Ecclesiis esse celebrandum, videlicet die Dominica proxime sequente lunam decimam quartam mensis Martii post vernalis Equinoctium. Postremo, quantum ad tertium caput, judicata est Meletii causa, & sancitum est a Patribus Nicænis, ut Meletius, nudo Episcopi retento nomine, in sua Lycopolitana Civitate absque jurisdictione, & ullis Episcopi functionibus permaneret; hi autem, qui ab eo sacris fuerant initiati, Alexandrino Patriarchæ subjacerent, aliis Ecclesiarum Ministris postpositi, ut videre est in Epistola Synodica Concilii Nicæni ad Ecclesias Ægypti, & Pentapolis, quæ extat apud Theodoretum lib. 1. Hist. Eccl. cap. 6. His ita constitutis, Nicæni Patres viginti Canones ad faciendam disciplinam condiderunt, & Epistolam scripserunt ad Ecclesiam Alexandrinam de rebus in Concilio a se gestis, quam descripsit Theodoretus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 10. Constantinus etiam Imperator Epistolam Encyclicam de rebus in Concilio Nicæno actis ad omnes Ecclesias direxit, quam referunt Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 17. Socrates lib. 1. cap. 6. & Theodoretus loco mox citato.

D. Exhibe, quæso, Synopsim viginti Canonum, quos ad faciendam disciplinam edidit Synodus Nicæna?

M. Primus Canon Eunuchos, qui se sponte absciderint, a sacris Ordinationibus, & Ordinum ante susceptorum functionibus arceat. Secundus, prohibet Neophytorum Ordinationes. Tertius, subintroducitur mulierum contubernium Clericis interdicit, solius matris, sororis, amitæ, vel earum personarum, quæ omnem suspicionem effugiunt, cohabitatione ipsis permessa, & convictu. Quartus Canon, Ordinationes Episcoporum ab omnibus Episcopis Comprovincialibus, si fieri potest, vel saltem a tribus de cæterorum assensu fieri jubet, asserto Metropolitanis confirmandi jure. Quintus, excommunicatum ab uno Episcopo vetat recipi ab aliis. Ne vero tam Clerici, quam Laici ab Episcopis injuste excommunicantibus opprimantur, statuit sacra Synodus eodem Canone, ut ad ejusmodi causas